

**Doctrinæ moralis, seu Ethices præcepta, pro
tyronibus. Strengnesiæ, excudit Balthazar
Widman, reg. colleg. typogr, [!] o MDCCXII.**

Strängnäs
1712

EOD – Millions of books just a mouse click away! In more than 10 European countries!



Thank you for choosing EOD!

European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook.

Enjoy your EOD eBook!

- Get the look and feel of the original book!
- Use your standard software to read the eBook on-screen, zoom in to the image or just simply navigate through the book
- *Search & Find:* Use the full-text search of individual terms*
- *Copy & Paste Text and Images:* Copy images and parts of the text to other applications (e.g. word processor)*

* Not available in every eBook.

Terms and Conditions

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions provided by the library owning the book.

- Terms and Conditions: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/en/agb.html>

More eBooks


Already more than 30 libraries in over 12 European countries offer this service.

Search books available for this service: <http://search.books2ebooks.eu>

More information is available at <http://books2ebooks.eu>

praecepta

Sv. Saml.
Filos.
(Br.)
1700
1700-1827



DOCTRINÆ

MORALIS,


SELI

ETHICES

PRÆCEPTA,

PRO

TYRONIBUS.



STRENGNESIÆ;

Excudit BALTHAZAR WIDMAN,

Reg. Colleg. Typogr,

A.º MDCCXII.

(1^{ste} appal. in 5th hab. de 7^{ed})

Fil.
72
1700
1700-1829.

DOCTRINE

ETHICS

BY

THOMAS

NEW YORK

1880





DOCTRINÆ

MORALIS

SEB

ETHICES PRÆCEPTA.

DEFINITIO ET DIVISIO ETHICES.



ETHICA est doctrina de moribus secundum rectæ rationis normam instituendis, ut quoad fieri possit, homo in hac vita benè beatèque vivat.

Dividitur Ethica in partem Generalem & Specialem.

Pars Generalis explicat Causas virtutum seu actionum moralium in genere, quæ referri possunt vel ad Finalem ut Summum Bonum Civile, vel Efficientem; ut Actiones humanæ; vel Materialem: ut Affectus; vel Formalem: ut ipsa virtutis genericè consideratæ Natura.

Par:

PRÆCEPTA.

Pars Specialis ipsas virtutes cum suis extremis describit. Unde hæc pars dicitur *ἁρετολογία*; Ista verò *ἑυδαιμονολογία*.

PARTIS GENERALIS

CAPUT I.

DE CAUSA FINALI ACTIONUM
MORALIUM, seu de SUMMO

BONO CIVILI.

Summum bonum Civile est operatio animæ rationalis secundum virtutem præstantissimam in vita perfecta. Summi boni Effectus immediati sunt: Bona Conscientia, & Voluptas honesta.

Bona Conscientia est pacatus animi status, de rectè cogitatis, dictis & factis, cum Jure divino & humano, certò & indubitato consentientibus.

Voluptas est plausibilis complacencia ex honesta operatione resultans.

Estq; alia Voluptas, quæ afficit animum, orta à sola operatione animæ rationalis: alia quæ afficit corpus, ex Sensibus exterioribus orta.

Com

Concomitantia Summi Boni sunt, quæ ad ejus faciunt splendorem & ornamentum; non verò ad essentiam; talia sunt. Amici, divitiæ, sanitas, libertas, dignitas, honor, gloria, laus, bona fama, &c.

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE
ACTIONUM MORALIUM

CAusa efficiens Actionum Moralium est vel Principalis: vel ministerialis seu adjuvans.

Principalis est hominis actio spontanea.

Actio autem spontanea est quando principium est in ipso agente, singulas actionis circumstantias sciente. Hujus quatuor sunt requisita: Intellectus, Consultatio, Electio & Voluntas.

Intellectus est principium, quo rem agendam vel omittendam intelligimus.

Consultatio est ratiocinatio de mediis, per quæ ad finem in agendo pervenitur.

Electio

Electio est actio præmeditata, quâ, ex variis propositis mediis, eligimus illud per quod bonum propositum, commodissime acquiratur, & malum quam studiosissime vitetur.

Voluntas est principium, quò rem vel vere vel apparenter bonam cum ratione appetimus, vel averſamur ut malam.

Causa ad juvans actionum moralium est 1. *Ευφρία* seu bona corporis temperatura. 2. *Aſſuefactio* & educatio, quæ oritur tum à disciplina bona domestica, tum à fideli institutione.

CAPUT III.

DE MATERIA seu OBJECTO VIRTUTIS MORALIS.

Materia vel Objectum, circa quod virtus Moralis occupatur, sunt Affectus, Græcis *πάθη* dicti. Nam in iis moderandis, & rectæ rationi subjiciendis virtus imprimis occupatur.

Affectus sunt passionēs cordis ortæ à notitia boni, quod desideratur, vel mali quod averſamur.

Objectum itaque Affectuum est bonum vel malum, & utrumq; vel verum vel

vel apparens, quod comitatur vel Voluptas vel Dolor.

Voluptas est delectabilis motus cordis, propter bonum aliquod præsens, præteritum, vel futurum.

Dolor est tristis motus cordis & animi, propter malum aliquod præsens, præteritum vel futurum.

Affectus alii sunt boni: ut Lætitia, Spes Benevolentia, Beneficentia, Misericordia, Concordia, Amor.

Alii naturâ mali, ut: Odium, Contemptus, Inimicitia, Invidia, Superbia Furor Desperatio, &c.

Alii medii, ut: Indignatio, Tristitia, Metus seu Timor, &c.

CAPUT IV.

DE DEFINITIONE, FORMA AC DIVISIONE VIRTUTIS MORALIS.

Virtus est habitus Electivus in mediocritate consistens quo ad nos definita ex ratione Viri prudentis.

Forma Virtutis est *μεσότης*, quæ gemina est.

Altera rei: Altera Personæ.

Medium rei est, quod ab utroq; extremorum secundum proportionem *A-cithmæ*

rithmeticam æquali distat gradu & intervallo.

Medium Personæ est, quod secundum proportionem Geometricam, uni extremorum magis accedit, habita accurata & debita circumstantiarum ratione.

Virtutis moralis tres sunt gradus:

1. Est Incipientium, quando affectus pravi & inordinatæ cupiditates, rectæ rationis imperio invitè subjiciuntur; dicitur alias Virtus imperfecta.

2. Proficientium, quando magis repressæ sunt & pacatæ passiones, neque ita, ut ante vehementes; dicitur alias Virtus Moralis Perfecta.

3. Perfectorum seu Heroum, cum ita cohibentur affectus inordinati, ut rectæ rationi se nunquam opponant; dicitur alias virtus Heroica.

PARS SPECIALIS.

CAPUT. I.

*De Virtutibus in gradu Proficientiam,
Seu de*

semivirtutibus, Continentia & Tolerantia.

Continentia est virtus imperfecta, obcinens dominium in voluptates & cupidi-

cupiditates licet reluctantes.

Objectum sunt voluptates Corporis & Sensuum; item, quæ ex divitiis, honoribus, cupiditate vindictæ ortæ sunt.

Extrema sunt, in Excessu; incontinentia, cum quis in affectibus aliis, tum in gula & Venere modum excedit. In defectu nomine caret, cum quis omnes planè fugit voluptates, etiam honestas.

Tolerantia seu Patientia est virtus imperfecta vel dispositio proba, quâ res adversas & laboriosas, cum quodam dolore, honestatis gratiâ perferimus.

Objectum sunt dolores, qui ex absentia voluptatis percipiuntur.

Extremum in genere est Impatientia. Excessus autem dici potest Obduratio nimia in perferendis doloribus sine honestatis ratione: Defectus est mollities in nullis doloribus, honestatis gratiâ, perferendis.

CAPVT. II.

DE FORTITUDINE.

Fortitudo est virtus servans mediocritatem circa timiditatem & audaciam.

ciam, publicæ honestatis & utilitatis causa.

Objectum hujus virtutis sunt quævis aduersa.

Extrema sunt, in Excessu Audacia, Confidentia nimia seu fiducia: In defectu: Timiditas, Metus, Ignavia.

Fortitudo alia est domestica, alia bellica: Illa est, quæ in aduersis prosperisque rebus animum præstat immotum: Hæc verò, quâ vir fortis non dubitat honestè mortem oppetere in prælio.

CAPVT. III.

DE TEMPERANTIA.

Temperantia est virtus seruans rationis in libidinem, atque in alios non rectos animi impetus, firmam & moderatam dominationem.

Objectum hujus sunt voluptates, quæ percipiuntur ex gustu & tactu, Extrema sunt in Excessu, Intemperantia: In defectu, Stupiditas, in aspernandis omnibus voluptatibus.

Species Temperantiæ sunt duæ; Castitas & Frugalitas.

Castitas est Temperantia in Venere
licita

Licita moderanda, & illicita fugienda.

Extrema ejus sunt in excessu. **L**ibido: In defectu est affectata omnis Veneris detestatio.

Frugalitas est Temperantia in gula moderanda.

Ejus extrema sunt in **Excessu**, **L**uxuria: In defectu, sordes hominis sordidi.

Frugalitas dividitur in abstinentiam & sobrietatem: Illa est Frugalitas in moderato cibi usu. Extrema habet in **Excessu** Voracitatem, In defectu affectatam abstinentiam a cibo.

Sobrietas est Frugalitas in moderato potus usu: Ejus extrema sunt in **Excessu**, **E**brietas: In defectu, affectata potus necessarii aversatio.

CAPVT. IV.

**DE LIBERALITATE ET
MAGNIFICENTIA.**

Liberalitas est virtus servans moderatam in minoribus vel mediocribus facultatibus vel erogandis vel accipiendis.

Objectum sunt omnes facultates & opes

opes, quarum ad vitæ hujus sustentationem aliquis est usus.

Extrema sunt in Excessu, Prodigalitas, vitium in nimis dando, vel parum nimis recipiendo. In defectu, est Avaritia, vitium in nimium accipiendo vel retinendo, vel utroq; modū violans.

Magnificencia est virtus servans mediocritatem in magnis sumptibus decenter faciendis.

Objectum sunt: Magnifici Sumptus Viro Magnifico digni.

Extrema sunt in Excessu, Luxuria & inepta Splendoris affectatio. Est autem Luxus vitium in sumptibus nimis magnis erogandis modum excedens, non honestatis, sed delectationis causa.

In defectu sunt sordes, i. e. indecora parsimonia ejus, qui animo anxio & querulo sumptus facit.

CAPUT. V.

DE MAGNANIMITATE ET
MODESTIA.

M*agnanimitas* est virtus servans mediocritatem in magnis & debitis honoribus appetendis fugiendis & gerendis
Ob.

Objectum est quodvis magnum, præcipue vero sunt Honores magni.

Extrema sunt, in Excessu: Superbia, vitium quo maiores honores appetimus quam digni sumus, vel res nostras supra modum jactamus: In defectu, est Pusillanimitas, vitium, quo minores honores expetimus, quam digni sumus.

Modestia est virtus servans mediocritatem in parvis honoribus recte expetendis vel contemnendis.

Objectum sunt minores seu mediocres honores. Honor autem est Præmium virtutis, viro bono tributum à congruente ejus judice, ut ejus Virtus retulgeat, cæterique ejus exemplo ad virtutem invitentur.

Extrema sunt, in Excessu Ambitio vel arrogantia: quando honores nimios præter rectam rationem expetimus. In defectu *ἀφιλοψυγία* honorum contemptus, quo honores nobis debitos contra rectam rationem repudiamus.

CAPUT VI.

DE MANSVETUDINE.

Mansuetudo est virtus servans mediocritatem circa iram.

Dicitur.

Dicitur alius *Clementia*, *Placabilitas* seu *Humanitas*.

Ira est *Affectus*, cum *vindictæ cupiditate*, ex *contemptu nostri vel nostrorum*, ortus.

Objectum sunt *injurix*, *contemptus*, *convitia*, *damna*, &c.

Extrema sunt, in *Excessu Iracundia*. Cujus tres sunt *species*: *Excandescencia*, *Amarulentia* & *Crudelitas*.

In defectu est *Lenitudo* seu *iræ vacuitas*, (*ἀοργησία*) cum quis non irascitur, quibus de causis irasci debet.

CAPUT VII.

DE AFFABILITATE.

A*ffabilitas* est *virtus Homiletica*, quæ in *familiari convictu* eam *servat mediocritatem*, ut, quantum fieri potest *neminem offendat*, sed *omnibus honestè placere studeat*.

Aliis dicitur *Comitas*, *Familiaritas*, *Humanitas*, *Facilitas*.

Objectum est, *Sermonis* & *morum Civilitas* inter *honestas personas*.

Extrema sunt, in *excessu*, *adulatio* seu *assentatio*, quando quis *omnia laudat* vel *lucri causâ blanditur*. In defectu est

est morositas, quando nemini placere cupimus, dicta & facta aliorum etiam bona & recta improbamus.

Affabilitati valde affinis est amicitia, quæ est amor mutuus & conspicuus inter bonos & virtutis amantes, ex honesta cognitione ortus, ad vitæ honestæ conjunctionem conducens.

Objectum amicitiaë est honestum, utile & jucundum.

Extrema sunt in excessu: nimium cæcus & perversus amor: In defectu *μισανθρωπία.*

CAPUT IIX.

DE CANDORE.

Candor est Virtus Homiletica, qua id quod corde sentimus, etiam ore, verbis & actionibus profiteamur.

Aliis dicitur Veritas, Sinceritas, Integritas.

Objectum hujus virtutis est: Verum moraliter consideratum, quod dicitur convenientia cordis & oris, seu vitæ, in communi consuetudine spectanda.

Extrema sunt, in Excessu: Arrogantia quâ plura & majora quam habemus, vel ea, quæ non habemus, nobis arrogamus

mus: In defectu Dissimulatio, quæ nobis adfunt vel negamus, vel extenuamus.

CAPUT IX.

DE URBANITATE.

Urbantitas est Virtus homiletica, servans mediocritatem in ludis & jociis. Aliis dicitur Lepor, Facetiæ, Venustas. Objectum hujus virtutis sunt ludi & joci liberales, honesti ac moderati sine offensione aliorum.

Extrema sunt, in Excessu: Scurritas seu garrulitas, quando modum excedimus in ludis jociisque usurpandis. In defectu est rusticitas, quando nullos jocos vel ipsi commodè dicere, vel ab aliis æquo animo audire possumus.

CAPUT X

DE VEREGUNDIA

Verecundia est virtus, qua timemus ignominiam ex aliqua turpi actione orituram: aut erubescimus, si forte aliquid indecens aut turpe sit commissum.

Objectum hujus virtutis est: Metus infamiae seu reprehensionis.

Extrema sunt, in excessu: Impudentia.

na, ubi quis nullam timet infamiam
 In defectu: stupor, ubi quis nimium
 pavidus est ad ea agenda, quæ sunt
 honesta & laude digna.

CAPUT XI.

DE JUSTITIA.

Justitia est habitus, quo homines idonei sunt, ad agendum ea quæ justa sunt, eademque etiam & agunt & volunt. Vel est virtus suum cuique tribuens.

Objectum est jus, Justum, vel Rectum.

Justitia dividitur in Universalem & Particularem.

Illa est, quâ quis justè se habet circa bonum commune & publicum, & omnibus legibus obsequitur, ut ex earum præscripto omnes alias virtutes colat.

Justitia Particularis est virtus servans æqualitatem in rerum distributione & commutatione.

Particularis justitia dividitur in Distributivam & Commutativam.

Distributiva est justitia Particularis præmia & pœnas justo modo distribu

ens, habita ratione dignitatis personarum, & æqualitatis rerum seu proportionis Geometricæ, ut unicuique suum pro merito tribuatur.

Objectum sunt tum personæ, tum præmia & pœnæ.

Extrema sunt, in Excessu Tyrannis pœnas nimis exasperans: In defectu Socordia, neque dignis præmia, neque delinquentibus pœnam rectè distribuens.

Commutativa est justitia Particularis, quæ in contractibus, comerciis & rerum permutatione, proportionem servat Arithmeticam, adè ut quisq̄ *ένου προσωποληψίας* consequatur suum atque neuter deinde ocro lucro possit gloriari, vel de damno & injura conqueri.

A justitia promanat jus: Jus autem est, quod recta ratio in usu mutuæ societatis præseribit. Huic opponitur Injuria, quæ est juris violatio. Aristoteles dividit jus in Civile & Domesticum. Civile est vel naturale, vel legale.

Natu:

Naturale est, quod apud omnes homines beneficiô rectæ rationis utentes eandem vim habet, & non ex hominum instituto aut opinione.

Legale est quod ex hominum instituto habet autoritatem, omnes, quibus fertur, obligans.

Jus domesticum est quod colitur inter unius domus membra. Estque triplex: 1. Matrimoniale, inter Maritum & Uxorem. 2. Herile inter Dominum & servum. 3. Paternum, inter Parentes & Liberos.

CAPVT. XII.

DE VIRTUTE HEROICA.

Virtus Heroica est *Virtutis* *Moralis* Excellentia, quibusdam hominibus singulariter concessa, ad expediunda ea, quæ alias vulgari virtute humanâ expediri nequeunt.

Species *Virtutis* hujus tot sunt, quot sunt ipsarum virtutum moralium, cum cujuslibet virtutis sit splendor quidam

quidam & eminentia.

Objectum sunt actiones & Res
Magnæ & Sublimes.


Extrema sunt, in excessu Feritas,
humanam appetitionem in ferinam
commutat, omnemque rationis usum
excludit, unde quis infra humanam
conditionem à rectè judicantibus æ-
stimatur.

In Defectu Ignavia, i. e. summa
inepfitudo ad omnem vir-
tutis impetum.

FINIS.







www.books2ebooks.eu